

*Pr. striata*. Bl. (affinis nostrae) e descriptione praesertim differt: calyce 8 fido *multifloro* foliisque lyrato-pinnatifidis, summis lanceolato-linearibus.

Satis diversa a priori, sed *Soncho Javanico Spr.* similis est *Pr. longifolia*.

4a. *Pr. longifolia* mihi.

Caule erecto simplici striato, foliis lanceolato-elongatis acuminatis glabris margine spinuloso-denticulatis apice subintegris sparsis sessilibus, nervo medio basi dilatato cauli late affixo, margine ibidem rotundato-cordato v. subtruncato, eximie spiculoso-dentatis, ramulis paniculae terminalis maximae laxae cylindricae patulis pedunculisque glabris, pedunculis sparse bracteolatis, anthodio 10-phyllo multifloro.

Erecta, simplex, pedes 5 circ. alta. Folia sparsa, distantia, 9 uncias longa, nec ultra, 9 lineas lata, sessilia, nervo medio basi dilatato late affixa, (non amplexicaulia) margine subtiliter revoluto-minute-spinuloso-denticulata, denticulis basis subcordatae majoribus. Anthodium multiflorum, flosculos plus quam 20 includens! Pappus distincte stipitatus, pilosus. Receptaculum planum, glabrum. Achenia compressa. Caulis intus medulla molli farctus.

*Pr. Javanica* Bl. Bijdr. 15 p. 887 a nostra planta ex descriptione Blumeana satis diversa.

5a. *Sonchus Javanicus*. Spr. (Syst. Veg. 3 p. 648)

Character ex meis speciminibus:

Foliis omnibus indivisis laevibus elongato-lanceolatis acutis basi cordato-sagittatis glaucis, pedunculis terminalibus subumbellatis.

Synonyma secundum Sprengelium l. c. Hieracium Javan. Burm. et Prenanthes Javanica Willd.

Planta cel. Blumei Bijdr. 15, p. 887 sub nomine Prenanthes Javanicae Willd. descripta, secundum notas a Blumeo datas a Soncho nostro longe diversa!

Sonchus 2-3 pedalis, caule erecto glabro striato superne ramoso. Folia longissima, versus apicem aequaliter angustata, acuta 7 unc. longa, medio 6 ad 8 lineas lata, margine subtiliter revoluta, spirulis duris minutissimis dentiformibus reflexis remote obsita, basi cordato-hastata late affixa, fere semi amplexicaulia. Anthodium multiflorum flores plusquam 50 includens. Receptaculum nudum. Pappus sessilis, pilosus. Verus *Sonchus* est, sed specie forsitan a Soncho Javanico Spr. diversus?

Foliorum forma Prenanthes longifoliae (mihi.) simillimus sed Prenanthes differt: praeter anthodium oligophyllum erectum cylindricum et pappum distincte stipitatum, 1o floribus multo minoribus in paniculam maximam cylindricam dispositis, (nec in apice ramulorum umbellatis). 2o foliis basi subattenuatis, (in Soncho dilatata sunt) non amplexicaulibus, nec ovato-sagittatis, vix subcordatis.

7a. *Euphorbia Javanica* mihi.

Umbella 5-fida, radiis dichotomis, bracteis cordato-ovatis latis integerrimis breviter mucronulatis, capsulis laevibus, foliis lanceolatis. s. oblongo-oblanceolatis mucronatis glaberrimis dein reflexis.

Species pulchra, 3-5 pedes alta, erecta, basi lignosa. Caules inferne nude cicatrisati, superne foliis onusti confertissimis dein reflexis imbricatis.

Simillima est *Q. Gerardinae* Jacq. sed umbella 5 fida, bractee cordatae acutae, et folia latiora, enervia!